

Qu. 517. 25.

B. m.



Oratiuncula

in funere

IOANNIS HIL
DENII ELEGANTISSIMI
PVERI RECITATA AN-
TE AEDES.

à

CHRISTOPHORO PELARGO,

S. Th. Doctore & Professore.

XIII. KL. Iulij. Anno Domini

clō 1ō xcll.



FRANCOFVRTI

Excudebat Andreas Eichorn,



In obitum suavis. pueri
Ianuli Hildenij.

HILDENIVS Sophiam miratus in æthere diâm
Notaq; cœlicolis gaudia sola pijs,
O tenebras inquit mundi, fletusq; loquaces,
Non ibi Philosophus, sed Philosomphus homo est,
Visa Stagiritæ sapientia prima magistræ
Ultima vix nobis hic, quia tota cadit:
O miserum liceat terris excedere Natum,
Ut tener hic voces hauriat æthereas
Hauriat ambrosium laticem quem Gratia **CHRISTE**
Fundit, ab humano nil mage fonte bibat.
Audijs hæc pueros vlnis complexus amice
CHRISTVS, & humanis, inquit, abito puer.
Cum genitore tuo viuas, nostramq; perennis
Accipe non ruptam tempore læticiam.
Ergo Scholam superum posthac puer optime lustras,
Ductor in hac idem qui tibi Doctor erit
At matrem, Curamq; piam, terrenaq; linquens
Cuncta, retro labi nostraq; nosq; mones.
O genitor salve, natum complexus olympo
Lætior, ò salve Nate, patremq; vide.
Mortis erat vobis vnum genus, vna sepultis
Terra, locus vobis qui datur, vnus erit.

Christophorus Pelargus. D.

Oratiuncula

funebri.



Redo equidem Magnifice Dn.
Rector, viri dignitate reuerenda,
doctrina excellenti, autoritate &
prudencia clarissimi, vosq; litera-
rum & virtutum studiosissimi
Iuuenes, credo opinari vos, me in tam augustam
hanc lugentium coronam, non sine orationis
venustate aliqua proditurum, & quod auri-
bis vestris, non modò non absonum, sed nec
usitatum tritumue sit perpolito sermone dictu-
rum, cum quod adolescentuli, cuius humani
causa aliquantisper substitimus, indoles exi-
mia: tum verò Parentis HILDENII eru-
ditio excellens, & nota plerisq; vobis singularis
viri alacritas, nec vulgare, nec humile aliquid
abs me postulare, & cuiusdam quasi παρηγορησις
occasionem præsens hora dedisse nobis videa-
tur. At enimvero priusquam dicere, apud vos
institutam, moneo: nec opinioni vestra mea re-
sponsum iri tenuitate, neq; in laudum me cam-

pos uber-

pos uberrimos excursurum: quandoquidem ad
alia reuocat consuetudo, temporisq; ratio, quæ
in angustum quoddam non semihorula sed vix
quadrantis spacium concludere iubet vniuersa.
Vnum hoc erit præcipuum, ut causas tam præ-
maturi obitus puerorum adolescentumq; non
differendo explicem sed commemorando aliquot
atingam; Et quæ hisce erunt affinia alia, bene-
uolentiæ vestræ, quam præcedente diuina gratia
mihi paratam non leuiter confido, breuissimè
subjiciam. Ut audiatis, ut faueatis, amanter
oro. Marcellum Caij Marcelli ex Octauia fi-
lium, quem Augustus sibi adoptauerat ingenij
præstantissimi puerum, ubi vita discesserat, flebi-
liter queritur Virgilius, omnemq; cum ipso spem
resectam posteris affectu adeò graui exprimere
conatus est: ut dena sestertia pro singulis de
Marcello versibus, hoc est, summâ ad nostram
monetam collectâ, sex mille, quingentos, Et sexa-
ginta duos unciales argenteos cum semisse, ab
Octauia Augusti sorore, Marcelli matre, retu-
lisse feratur. Eius versus:

Ostendent terris hunc tantum fata, nec ultra
Esse sinent, nimium vobis Romana propago
Visa

*Visa potens superis, propria hac si dona fu-
issent.*

*Et: Heu miserande puer, si qua fata aspe-
ra rumpas*

Tu Marcellus eris, &c.

Tibullum iuuenem Ovidius: M. Caelium
oratorem admodum iuuenem Quinctilianus,
alij alios deflent: eoq; magis, quo vita ipsorum
ad pauciores annos produci potuit. Elegans
omnium est *Et* ad miserationem comparata or-
ratio, *quod* non in linguis excitata, sed pectori-
bus ipsis educta. At nullam apud omnes cau-
sam solidè scriptam reperias, ob quam siue Mar-
cello, siue, ut ad nostros abeamus, Christianis
infantibus *Et* pueris tam subito relinquenda sit
hæc mortalitas. In sacris occurrunt plurimæ,
de quibus præcipuas statuo, tres quidem ad nos,
totidem ad defunctos nostros maximè pertinen-
tes. Ad nos pertinent, ut primò peccati, quod
post Adæ lapsum in omnes ipsa influit propagi-
ne vim *Et* magnitudinem metiamur. Cum
enim omnes homines ob labem istam horribi-
lem morti addicuntur, tum infantes etiam *Et*
A iij pueri

pueri nequaquam sunt exenti. Idco vera Io-
bi sententia: magnus ac parvus moriuntur:
Iob. 3.
25.6. & Ecclesiastici, omnes nos morti sumus obno-
xij. Deinde vita etiam conditio in his quasi
quibusdam *εὐνοίαις* exprimitur, ut calamitates
animo complexi, sensu etiam ipso indies experti,
meliozem votis omnibus optemus nobis pariter
liberisq; nostris vitam, eam dico, qua Christi
sanguine parta, nobis promissa, decedentibus pie
in caelis oblata est. Quis non rideat cum
Thrausis apud Herodotum? quamuis risum
illis excitabat fallax quaedam opinio, nulla sa-
rorum scientia; quis non cum sanctis gaudeat,
Gen. 9.
2. Reg. 2. denasci suos, priusquam improbi Chami vesti-
gia, multorum gressu hodie signata premant,
puerorum Eliseo illudentium voces maledicas,
vel audiant, vel ipsi iterent: eorum animis sese
aggregent, quorum sermones Sapiencia caelestis
audiit: dicunt iuvenes, non reuereamur canos
multi temporis: sit autem fortitudo nostra lex
iniustitia Sapienc. 2. antequam hereticorum
fraudes admittant, quorum acinace virulento
iugulum crudelissimus hostis generis humani,
iugulum omnium nostrum petit. Praeterea no-
2. Sam. 12. stros alio abduci videmus, ut cum Davide subse-
qui

qui nos, non regredi eos huc cupiamus. Amas fili-
 um, ama sedē, qua letus ipse, qua tranquillus ipse.
 expete horam qua sis cum ipso. Nostra haec sint,
 qua in prematuro liberorum obitu inter alia con-
 siderari prolixius oportet: de quibus ^a Nazianzen. ^b Chryso-
 st. ^c Augusti. ^d Ambrosius multa pracla-
 re monent, sed qua alio potius loco & tempore
 audienda sunt. Quid verō de beneficijs dicam. &
 indultis regijs, maximē ad eos spectantibus, qui
 humana reliquerunt celeri volatu? à facie mali
 collecti sunt Eisa. 56. in refrigerio viuunt Sap. 4.
 colliguntur in pace, ne videant oculis mala, qua
 in ducturū se locis hisce iam pridem minatur DE
 VS 2 Reg. 22. anima ipsorum DE O placuit: ide-
 o properauit educere illos de medio iniquitatis, ne
 malitia mutaretur intellectus, aut ne dolo decipe-
 retur anima eorum. Itaq; à malis omnibus libera-
 tos, amicos CHRISTI, & in quiete aut refri-
 gerio eos esse intelligimus. Etiamnē malis cupis
 as vexari tuos ac tam diu, donec Tobia id anxij
 effundant: Praecepit Domine, in pace recipi spiritū
 meum: expedit enim mihi mori magis quam
 viuere: vel Matathia exclamantis: Quo ergo
 nobis adhuc viuere? Ve mihi, ut quid natus
 sum videre contritionem populi mei. Inimicum
 nē 1. Mac. 2.

a. in orat. fra.
 tris Caesarij.
 b. homil. 32.
 in Matth.
 c. lib de agen-
 da cura pro-
 mort.
 d. lib. de fide
 resur.

Tob. 3. e.

nē 1. Mac. 2.



nē **CHRISTVM** tibi tuisq; cupias? quod ne
fiat, si peccati vinculis astricti diu multumq; vi
uamus, nonnullus metus est: ἢ ὃ Ἰπικλεῖον εὐταύθρα
διατριβὴ πλειόνων κακῶν ἐστὶν ἀφορμὴ, dicebat magnus
ille **Basilius**. Et quietem cur inuideas vel unam
horam in humanis laboranti, si non inuidet is,
qui in vita quosdam longiore, alios breuiore mo
ra morti destinavit, non perpetuò mancipavit.
Quæ cum verissimè dicantur, & ex eo fonte, qui
solus commentorum sordibus inquinari non po
test, agedum **IOANNEM HILDENIVM** adolescen
tulum, non luctu sed laticia tacitè prosequamur,
inter angelos Dei iam exultantē, Patriq; suo sua
uiter abblandientem. Pater erat clarissimus iste
Philosophus, cuius nomen **Marchia** conseruabit
studiosè, **GVILIELMVS HILDENIVS**: de
cuius limato ingenio, exquisita multarum arti
um cognitione, expedita & profluente dicendi
copia, in Græcis Latinisq; literis insigni usu, ni
hil potius quam arida hac & flaccescente mea
oratiuncula tenuiter eloquar: præsertim, cū
apud Dn. Collegas memoria eius nondum inter
mortua, et ad Dn. auditores alios, fama viri hu
ius celebris pridem dimanare potuit. Illud sal
tem accipite: si qua parentum vis in sobolem
trans-

transfunditur: eam in filio Hildenio, vixisset
modo, tanquam in expresso paradiamate viua
spiranteq; imagine conspici potuisse: adeò ad eius
accedebat naturam, mores, industriam. Vt enim
Aquileges, cum mane halitum è terra erumpen-
tem vident, indicium id habent latentium aqua-
rum: sic ostendebat se de facunda scaturigine
virtutum spes, ubi in adolescentulo hoc præiret
& eluceret discendi cupiditas. Sed in agris
fructum subita calamitas: mors speratam huius
ingenij suppressit fecunditatem: aut, ut piè lo-
quar, expressit caducum & mortalem flosculi
huius succum agricola cælestis, melioremq; af-
fundens, fertilior solo conseruit. Annos natus
fermè octo, cum ex morbo difficili & diuturno
anhelans ad gratam liberationem vicinus erat
excessui, medicis & Berlinensibus & nostris,
ad quos confugerat ante dies 17 opem frustra
parantibus, pijs precibus dolorem mitigauit,
mortem placidè sustinuit: nec enim desertum se
aut abiectum iri: onus sibi impositum, non ca-
riturum modo & fine asserebat. Modus hic
& finis erat, quem nudius tertius attigit beatè
secunda post meridiem hora. O felix puer, qui
humana non senties pericula: o verè beatus qui
in cœ-

in cœlis cum Parente, viro dum in terris erat a-
manissimi ingenii (ita Senecam Tacitus vocabat)
cui corpore etiam iungi post mortem in hac vr-
be nostra debuisti, non umbratilem Aristotelis
sapientiam, non improbam Platonis pietatem,
non contortam Auerrois subtilitatem, non eva-
nidam Græcorum suauitatem, non constrictam
Latinorum gravitatem, non hominum, homi-
num inquam vanitatem audies deinceps, co-
gnosces, amplecteris: Sed Christi sapientiam, sed
Angelorum leticiam, sed sanctissimorum omni-
um in celebrando DEO constantiam, venera-
beris, imitaberis, admiraberis. Vos interea Ma-
gnifice dn. Rector, Viri reuerendi, clarissimi, pru-
dentissimiq̄, iuuenes maiorum virtutib. & ima-
ginibus nobiles, studijsq̄ præstantes, qui de beata
illa Academia cœlestis conuersatione cogitare
aliquid cepistis mecum, pietate vestraq̄ hu-
manitate dignum omnino officium à vobis præ-
stitum hodierna die, existimabitis. Quod
cum clarissimus Dn. Doctor IODOCVS
Glasenbergerus denati ἐπιπάτωρ, gratum sibi con-
iugiq̄ suæ marenti, fuisse sentiat; equidem non
dubitauero, acceptissimum fore illi, qui nos sub
hoc

*hoc cælo, de vero cælo, in vita hac mortali, de
vita vitali, in laboribus de quiete, in congressu
hoc momentaneo, de perpetua, quæ in cælis erit,
coniunctione, iubet dicere, cogitare, conquirere.*

Dixi, cogitate, si placet mecum,
domi conquirite.

akt n 7999

(x2219458)

M



QUC 517.25

B. m.

II n
7999

Oratiuncula

in funere

IOANNIS HIL
DENII ELEGANTISSIMI
PVERI RECITATA AN-
TE AEDES.

à

CHRISTOPHORO PELARGO,
S. Th. Doctore & Professore.
XIII. KL. Iulij. Anno Domini
c1o 1o xcll.



BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

FRANCOFVRTI
Excudebat Andreas Eichorn,

